

theris lampas astrorum fulgorem coërcet, tantum modernarum  
Rerumpublicarum formas status integritatis forma castigasset.

## THEMA SECUNDUM.

**F**orma Reipublicæ non accidentalis, sed essen-  
tialis, hoc est, ea quæ dat ultimum essendi vel  
existendi actum, adeoq; formalem Reipubli-  
cæ rationem constituit, est *Ordo* sive ordo hominum,  
certis imperantium obtemperantiumq; legibus in-  
ter se bono publico de vincitorum. Videlicet, quem-  
admodum familiæ forma *Ordo* est unius imperantis  
& reliquorum obsequentium, bono privato sibi in-  
vicem de vincitorum; ita Reipublicæ forma non  
multitudo, cum ea latronibus etiam competat, Sed,  
ut Aristoteles loquitur, *Ordo* est, 3. Politicorum  
c. 6. quam vocem perinde hic est sive ordinem,  
sive ordinationem reddas, modò attendas, ordinem  
b. l. non tam physicum & arithmeticum, quàm mo-  
ralem & politicum intelligi, qui consistit potissi-  
mùm in relatione reali imperantium, & parentium  
bono publico sibi de vincitorum, cuius relationis fun-  
damentum sunt actiones illæ morales, quibus per-  
sonæ civiles sibi invicem ad bonum commune quasi  
correspondent in Republica. Actiones hæ dicun-  
tur officia personarum civilium, quæ ut secundum  
rationis normam perficiantur, certis legibus pro ra-  
tio.

B

tio.